

1 a

157



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-577060-p0001-4

DFG



~~XXXIX.~~ G. 33. num. 5. .7  
16  
**I. unic. ff. de con-**

**dictione ex Lege,**

**Quam**

Deo Ter Opt. Max. adjuvante,  
Magnifico & Nobilissimo JCtorum Collegio in inclutâ  
Jenensi Academiâ permittente,

**Præsidente**

**Viro**

Amplissimo, Consultissimo atque Excellentissimo

**Dn. ERASMO UNGEPAUR;**

JCto Eminentissimo, Antecessore hujus Aca-  
demiae Celeberrimo, Consiliario Saxonico, Curiæ Provin-  
cialis & Scabinatûs Adiessore gravissimo &c. Dn. Præce-  
ptore ac Fautore suo æviternum

colendo,

Publico examini subjicit

**In JCtorum Auditorio**


Ad diem Augusti horis matutinis


Nicolaus Treptau Silesius.



**J E N Æ**  
Literis Weidnerianis, Anno M DC XXXVII.

14





The image shows a circular medallion or seal on the left side of the page. The medallion contains a profile of a man's head facing right, wearing a crown. The background of the page is a light beige color with some minor texture and small dark spots. The text is printed in a dark, serif font.

Uando Sacratissimum Im-  
peratorem Justinianum ad omnia  
consilia omnesque actus semper ab invo-  
catione Divini numinis aggredi solitum  
novimus, l. 2. pr. C. de offic. præfet. prætor.  
Affric. Novell. 6. in pr.

Ide vestigia ejus  
secuti, subsequas de Condictione ex Lege

positiones IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI feliciter exordimus.

# POSITION I.

Condicere priscâ lingvâ est denunciare. §. appellamus, 15.  
Inst. de Actionib.

II. De jure enim antiquo, si quis habebat aliquem obligatum, priusquam eum convenire poterat, cogebatur ei denunciare ut solveret: unde dicta est conditio à Con, & Dico, quasi collocutio de debito. Schneidewin. ad pr. Inst. quib. mod. reconstr. oblig. n. 30.

III. Unde omnes in personam actiones vocantur Conditiones, d. §. 15. *Inst. de Actionib.*

IV. Sunt autem Conditiones vel Generales, vel Speciales.

V. Generales, ut: Conditio ex Lege, Conditio Triticiaria &c. Wesemb. in paratitl. ff. de Condit. ex L. n. 1. quarum tamen prior videtur specialis esse Johanni Sichardo ad rubr. C. de condit. ex L. n. 1.

VI. Speciales sunt, veluti: Condictio ob caussam, condictio sine caussâ, conditio furtiva, conditio indebiti, & quædam aliae.

VII. Est autem Condictio ex Lege actio personalis, competens ex obligatione per novam Legem introductâ, non carentem, quo genere actionis experiri oporteat. *Julius Pacius* in *Isag. mff. b. t. n. 2.* Vel, ut *J. C. Pauli* verba, quæ explicatiō-

magis sunt apta, retineantur, ita illle: Si obligatio lege novâ introducta sit, nec cautum eâdem lege, quo genere actionis experiamur, ex Lege agendum est.

HX. Verba, Ex LEGE Actio, non hunc habent significatum, quasi singula eorum quid significant horum, ad quæ exprimenda primùm inventa sunt: sed ponuntur, ut Grammatici loquuntur, περικλησίου seu materialiter, i.e. conjunctim, quasi ea unum sint nomen indeclinabile, & unius nominis & vocis vice fungantur, intelligaturq; eorum coniunctione nomen & titulus actionis. *Donellus ad l. un. b. t. n. 2 & 17. Treutler. vol. 1. select. disp. 23. 1b. 1. lit. B.* quamvis etiam eaussam efficientem denotare possint, ut putat Bachov, in notis ad *Treutler. d. ibes. 1. litt. B.*

IX. Neque verò hæc loquendi formula commentitia est. Est enim illa ipsa juris autoribus usitatissima, quam, cùm in aliis innumeris, tum maximè in Interdictis penè omnibus licet observare: ut cùm dicitur, Interdictum quorum bonorum, quod Legatorum, uti possideris, unde vi &c. in quibus omnibus nihil aliud intelligitur, quàm Interdictum, quod istis nominibus appellatur. Nam alioqui adjectioñes hæ per se nihil significant, & tantum initium sunt alicujus sententiae, sed ut diximus, nomina sunt, quibus Interdicta ita appellantur. *rubr. & l. 1. quor. bonor. l. 1. impr. quod Legator. l. 1. §. estigitur. & uti possideris.*

X. Nec dubium est, quin eadem sit & actionum significatio. Cum enim dicimus agere aliquem pro socio, non intelligimus agere eum pro eo, seu nomine ejus, qui socius ejus est, quod tamen verba naturaliter significant: sed agere ipsum pro se & suo nomine, verùm pro socio, i.e. actione eā quæ appellatur pro socio. *l. si fundus. 39. l. si quis. 41. pro socio.*

XI. Sic agere ex stipulatu est, agere non ex stipulatione, quod nativa significatio verborum exprimit: sed agere ex incertâ stipulatione, eā actione, quæ appellatur ex stipulatu. *l. si quis. 24. de rebus creditis.*

XII. Sed ne diutiùs in hisce immoremur; sciendum est, indefinitione tria JCTum exigere. I. Obligationem, eamque non quamlibet, sed certam, nempe nunc primum introductam

Le-

Lege, non alio Jure. II. Introductam Legem novam, non veterem.  
III. Ea Legem non debere esse cautum, quo genere actionis sit  
experiendum.

XIII. Et requiritur imprimis **OBLIGATIO**, ex qua actio  
haec introducatur. Quippe cum actio haec conditione cluat;  
conditione autem omnis actio in personam, quae semper obliga-  
tionem requirit §. 1. *Inst. de Actionib. appelleatur*, §. 15. *Inst. codi-  
cata* & hanc actionem obligatio præcedat, necesse est.

XIV. Porro debet obligatio introducta esse **LEGE. d. b.  
r. b. t.**

XV. Lex autem accipi debet non generaliter omne jus,  
neque nimis specialiter propriè & angustè tantum, prout sumi-  
tur ea ipsa in §. constat. 3. *Inst. de I. N. G. & C.* Sed simul cum  
ipsa omnis alia constitutio similis, i.e. civilis, & quæ ipsa con-  
stitutione vim Legis habet. *Wesembec. in paratu ff. b. t. n. 4.*

XVI. Talis hodie in Imperio Romano est constitutio  
pacis publicæ, pignorationis, & recenter, nempe anno 1570,  
promulgata de arrestis Imperii, &c. vid. *Ordin. Camer. part. 2.  
tit. 9. 21. Treutl. vol. 1. select. disp. 23. th. t. lit. C.*

XVII. Unde etiam est, ut vix assentiri possimus Leopol-  
do Hakelmanno alioquin doctrinæ viro, qui in *disput. ff. 10.  
tb. 14.* negat ex SCtis dare hanc ex Legi conditionem, cum  
haec æquè ac aliæ constitutiones nomine Legis veniant. §. Se-  
natus consultum. §. *Inst. de I. N. G. & C. Donellus ad d. l. un. n. 9.*

XIX. Eadem caussa est & Plebiscitorum, l. 1. ad L. A.  
quilibet ubi Lex Aquilia expressè Lex nominatur, d. l. 1. in pr. quæ  
tamen nihil aliud est quam Plebiscitum. d. l. 1. §. 1. *Donellus  
d. loco.*

XIX. Hinc palam sit, conditionem hanc non dari ex  
Jure gentium, aut Prætorio, quia neque haec jura sunt Leges, neque  
horum constitutiones Legibus similes.

XX. Idem judicium esto de statutis Principum superio-  
rem recognoscendentium, Consuetudinibus & Legibus Municipali-  
bus, quas Juri Prætorio comparat Panormitanus in c. ult. de  
off. leg. *Dissent. Br. & eum secutus Bachov. in notis ad Treutl. vol. 1.  
disp. 23. tb. 1. lit. C.*

XXI. Ratio videtur hæc esse, quod ex obligationibus ex Jure Prætorio & gentium originem suam trahentibus, si de his nullæ sint certæ proditæ actiones, tantum præscriptis verbis in factum sit agendum. *l. i. l. 2. l. solent. 15. de præscript. verb. l. i. S. 4.*  
*de his qui dejecer. l. i. in pr. si mensur fals. mod dixerit.*

XXII. Legem insuper Novam esse debere nemo non videt. Si enim obligatio priùs esset inducta, quæ jam lege novâ confirmareret, ex confirmatione illâ certè condictioni nostræ locum esse non posse, vel hoc dilemmate dispaleat.

XXIII. Aut Lex quædem vetus actionem certam dedit, aut non dedit: Si actio certa sit prodita, eadem etiam post confirmationem utemur. Si verò lex vetus nullam dedit actionem, erit quidem condic̄tio ex lege, sed ex lege priore quæ actionem induxit, non ex posteriore, quæ hanc confirmavit: Et ita condic̄tio ex Lege semper erit ex Lege obligationem introducente, non autem confirmante, quod ex *l. un. verbo, introducta, b. t. colligere abundè licet*, quamvis qui contradicant non desint. Et hæc sese ita habent, si verbum Nova ad legem referatur, non verò si ad obligationem.

XXIV. Sunt autem qui statuunt, absurdam fieri sententiam, in d. *l. un. b. t.* si verbum Nova, legi conjungatur, inter quos ultimus non est Bartolus, putantque illud ad obligationem referri potius, ut sit sensus: Si obligatio nova, introducta sit Lege, neque cautum &c. quâcunque Lege id factum sit, sive vetere sive novâ, condicione ex Lege esse agendum.

XXV. Verum enim verò hoc neque contextus orationis patitur, neq; verbum INTRODUCTA.

XXVI. Hic namque ipse est contextus: Si OBLIGATIO LEGE NOVA INTRODUCTA SIT. Heic verbum Nova conjungitur cum LEGE, non cum OBLIGATIONE. Quid ergò causæ, ut seriem verborum, sententiam interpretantes interverttere velimus?

XXVII. Ad verbum INTRODUCTA, quod attinet, horum Interpp. opinioni illud ipsum valdè refragatur, quod suā

vinovam obligationem , & non aliam continet. Vetus enim aliqua, si proponeretur, non induceretur Lege, sed confirmaretur. Quod ipsum facit, ut qui novam obligationem exprimere vult, si simpliciter introductam dixerit, satis dixerit, nec poterit verbum **Nova** adjici, nisi superfluè & vitiosè. Semper autem in omni oratione & maximè in legibus verba ita accipienda sunt , ne quid frustra & vitiosè positum videatur. *l. si quando. 109. in pr. de legat. & fideicom. t. l. in ambiguâ. 19. de LL.*

**XXIX.** Quod usque ad eò in hâc definitione retinendum est, ut quamvis ita scriptum esset: **Si OBLIGATIO NOVA LEGE INTRODUCTA SIT.** Ut verbum **Nova**, sine vitio contextus , tam ad obligationem quam ad Legem aptari posset, tamen ad Legem potius deberet referri, ne oratio in redundantiam & superfluitatem incurreret, cum, qui (ut paulò ante dictum) obligationem introductam dixerit, satis dixerit. *Donell. ad b. l. n. 12.*

**XXIX.** His ita expeditis, quæstionis est, quæ sit Lex nova, quæve vetus? Et certo respectu certâque comparatione omnes Leges novas veteresque dici posse, certum est.

**XXX.** Verùm cum Leges XIII. tabb. veteres vocemus, *l. i. de heredit. petit.* sequens est cæteras LL. & constitutiones postea secutas appellari novas *d. l. i. & l. 3. de hered. petit.*

**XXXI.** Ex quo apparer, si his posterioribus Legibus omnibus obligatio constituta sit, ibi competere condicitionem ex Lege: sin introducta sit obligatio Legib. XIII. tabb., hanc condicitionem cessare.

**XXXII.** Legibus enim XIII. tabb. latis, statim post ex his compositæ sunt actiones, id est, singulis actionibus sua nomina & formulæ sunt inditæ, quibus agitur de iis caussis, de quibus obligationes petitiones vè his LL. sunt constitutæ. *l. 2. §. his LL. 5. & §. deinde 6. de O. 7.*

**XXXIII.** Hinc factum, ut cum obligationes Leg. XIII. tabb. suas proprias & usitatas actiones habeant, non desiderent aliud nomen actionis, puta hanc ex Lege condicitionem, quæ aliis deficientibus quasi subsidio comparata est.

**XXXIV.**

XXXIV. Denique ut hæc condicō ex L. locum habet requiritur: **LEGE CAUTUM NON ESSE OPORE-**  
**RB, QUO GENERE ACTIONIS SIT AGENDUM.** d.l.  
un.b. 1.

XXXV. Nam ubi Lege actio certa & negotii propria prodita est, frustra alia desideratur, & præsertim talis, quæ non ita proprietatem exprimit, qualis est Condicō ex L.

XXXVI. Quod novissimè usum hujus actionis concer-  
nit, verba ultima d.l. un. **AGENDUM EST**, cum demon-  
strant.

XXXVII. Non enim dicit JCtus Paulus, condicione ex L. agi, seu conditionem ex L. dari posse, alioquin hujus con-  
dicione nullus esset usus, cum cuique liberum foret, hæc actio-  
ne uti, aut non uti. *I. sèpè audi vi. 8. de off. Præf. l. si quis in conscri-  
bendo. 19. C. de pacis.* Sed verbis hisce necessitatem innuit  
agendi, in quâ versatur hujus conditionis usus.

XXXVIII. Quod eò pertinere arbitror, ut sciat acto-,  
dum condicione ex L. agere volat, non esse sibi liberum alio  
nomine aut formâ uti; sed necesse habere sic experiri, ut no-  
men hoc conditionis exprimat, h.e.dicat, se quod petit, ex hæc  
vel illâ L. cuius beneficio utitur, condicere.

XXXIX. Cujus rei hæc vis est, ut nisi ita actionem insti-  
tuat, edatque adversario, nulla sit editio, nec intentio teneat,  
*I. i. in fin. pr. de edendo. Donell ad h.l. n. 19. in med.* Et tantum  
de h.l. unicæ explicatione. Commodè nunc ejus quæ in jure  
passim occurunt exempla, breviter sunt subjicienda.

XL. Hujus autem generis est 1. Condicō ex Impera-  
toris Justiniani constitutione, quâ ex nudo etiam pacto dona-  
tor efficaciter ad præstandam rem donatario obligatur, *l. si quis*  
*argentum. 35. Ibi gl. in verbo, tñdere, C. de donationib. §. alia*  
*autem donationes. Ibi gl. in verb. necessitas. Inst. eod. Bocerus*  
*part. i. disp. class 3. disp 21. tb 1. n. 3. Hakelmannus in disp. ff disp. 10.*  
*tb. 14. Ampliss. Dn. D. Præschend in suâ disputatione inauguati tb. 15.*  
*Dissentire videtur Wesemb. in parat. ff. de cond. ex L. n. 4.*

XLI.

XLI. 2. Condictio ex ejusdem Imperatoris constitutiōne, contra eum qui in libello plus petiit summā, atque ita dolo malo occasionem dedit executoribus, quo maiores sportulas exigerent, & datur reo convento actio in triplum contristum actorem. §. tripli. 24. Inst. de Actionib. Dn. Harprecht. & Rittersbus. ad d. §.

XLII. 3. Condictio ex aliā Justiniani constitutione datur reo contra apparitores seu executores litium, sportulas ultra modum legitimum ab eo exigentes, in quadruplum ejus, quod supra modum exegerunt. §. quadrupli. 25. Inst. de Action. Harprecht. ad eund. §. n. 5.

XLIII. 4. Ejusdem generis est condictio, quæ competit creditoribus anterioribus cōtra posteriores creditores, quibus heredes defuncti res hereditatis hypothecæ obligatas tradiderunt ad easdem repetendas. l. fin. §. fin. verò. 6. C. de jure delib. Bocerus d. class. 3. disp. 21. th. 1. n. 4.

XLIV. 5. Condictio quam patit contractus Emphyteuticus, ex lege Zenonianā, l. 1. C. de jure emphyteutico. §. adeò 3. Inst. de Locat. & Conduct. Treutl. vol. 1. disp. 29. th. alt. lit. G. Wiesemb. in parat ff. si ager vocigalis & c. Dissent. Mynsing. in d. §. adeò 3. & Bachov. in notis ad Treutl. volum. 1. disp. ut. 23. th. 1. litt. D.

XLV. 6. Condictio æstimationis servorum &c. Cum enim de servis ejus, qui adulterium commisi, quæstio habetur in caussā adulterii, si servi perierint in tormentis, & postea fortem reus absolutus fuerit, potest condicere æstimationem servorum hāc ex L. condictione. l. 27. §. fin. ad L. Julianam de adult. Duarenus ad d. l. 27.

XLVI. 7. Condictio ex L. diffamari. C. de ingenuis manumiss. l. 5. Treutl. vol. 1. disp. 23. th. 1. litt. D. Bocerus d. disp. 21. th. 1. n. 5. Quam in dubium vocare conatur Bachov. in notis ad Treutl. d. disp. 23. th. 1. litt. D.

XLVII. 8. Condictio quā experitur is, qui in divisione rei communis circumscriptus est. l. 3. C. commun. ueriusq; judge cū. & ibi Job. Sichard. n. 9. Schurff. consil. 28. n. 9. cent. 1.

XLIIX. 9. Condicio quā ex literarum obligatione agitur. tit. Inst. de litter. oblig. gl. in verbo condictio. Br. ad l. unic. de condict. ex Lege. Joban. Schneidewin. ad tit. Inst. de litter. obl. n. 8 & 9.

XLIX. 10. Talis est & condictio ad supplendam legitimam ex constitutione Justiniani in l. 30. & l. 36. C. de inofficiose testamento.

L. Similiter, ut supra dictum, ex novissimis Imperii constitutionibus actiones, Condictiones ex Lege dicuntur, utpote quæ usurarum nomine dantur, Reichsabschied de anno 1500. de anno 1530. tit. von wucherlichen Contracten. Item: tit. von Jüden und ihrem Wucher. Mejer. in Colleg. Argent. lib. 13. tit. 2. lib. 2. Ordinat. Gauer. Imper. part. 2. tit. 9. 21. vid. supr. lib. 16.

Atque hæc quidem de hâc materiâ hoc accessu dicta sufficiant.

## COROLLARIA.

I. Tutorem remotum ob latam culpam non fieri infamem cum Magnifice Dno Franzio contra Donellum statuimus.

II. Emphyteusin non esse contractum stricti juris, sed bonæ fidei contra Wesenbecium cum Francico Connano sentimus.

III. Mulierem dotis nomine Creditoribus expressam anteriorem hypothecam habentibus, præfrendam esse, ex l. assiduis. 12. C. qui potiores in pignore &c. probari vix potest.

IV. Donatio inter virum & uxorem sub jurejando facta, de Jure Canonico subsistit.

V.

V. Si Monachus heres institutus hereditatem repudiarit, queritur, utrum vulgariter substitutus, si quis est, preferendus veniat monasterio? Affirm. Nec inter multas Canonistarum rationes, quas pro Monasterio adducunt, quicquam adversatur c. si religiosus 27. de elect. in 6. Ubi Monachus neque velle, neque nolle habere, & ex sui superioris imperio pendere dicitur. Locum enim inveniunt haec in iis rebus, quae ad professionem Monasticam pertinent. Quin autem retineat Monachus voluntatem, non est ut quis dubitet. Et jocosè de Monachis scribit Franciscus Duarenus, *de condic. indebiti c. 6.* inquiens: Nos experimur, Monachos velle & nolle. Velle quidem, ut cum est potandum & edendum; nolle vero, ut cum est jejunandum. Unde dicuntur Monachi facere nolentes & volentes. *Ampliss.* & *Excellentiss. Dn. Praeses in praelectionib. suis publ. de substitutionibus part. 2. cap. 4.* ferè ab initio.

VI. Comites & Barones in pari dignitatis gradu sunt constituti; *Dn. Praeses in suis praelect. publ. feuda lib. part. gen. cap. 7.*

VII. Concesso feudo nobili, nobilitas concessa non intelligitur.

IX. Rusticum rem suam allodiale in feudum ( licet alii contra sentiant ) rectè concedere, dicimus.


X. Si alicui concessum sit feudum pro se & heredibus quibuscumque &c. feminam ex hujusmodi pactis ad successionem feudi non admittendam esse, verius est.

X. Feminæ potius ex merâ consuetudine in feudo Ecclesiastico succedunt, quam ex naturâ feudi. Unde evertitur tritum illud in ore omnium proverbium: Der Rumbstab schliesse niemand aus / ec quod Ecclesiastici manuali auxilio & armato non indigeat, sed tueantur se lacrymis & jejuniis, quibus feminarum sedulitate & aptitudine se strenuo coadiuvari posse, putent.


XI. Divisio feudi in hereditarium & Non hereditarium, quod feudum ex pacto & providentiâ dicitur, in jure quidem feudali non usque adeò est fundata; est tamen utilissima & communiter recepta...

XII. Felonia tam ad Dominum quam ad Vasalum refertur.

F I N I S.







**ULB Halle**  
003 862 070


3




Sb.

KDZ





# Farbkarte #13



B.I.G.

XXXIX. G. 33. num. 5. 7.

Disputatio

ad

# I. unic. ff. de con- dictione ex Lege,

Quam

Deo Ter Opt. Max. adjuvante,  
Magnifico & Nobilissimo JCtorum Collegio in inclutâ  
Jenensi Academiâ permittente,

Præsidente

Viro

Amplissimo, Consultissimo atque Excellentissimo

DN. ERASMO UNGEPAUR;  
JCTo Eminentissimo, Antecessore hujus Aca-  
demiax Celeberrimo, Consiliario Saxonico, Curiæ Provin-  
cialis & Scabinatûs Adfessore gravissimo &c. Dn. Præce-  
ptore ac Fautore suo æviternum

colendo,

Publico examini subjicit

## In JCtorum Auditorio

Ad diem Augusti horis matutinis

Nicolaus Treptau Silesius.



J E N Æ

Literis Weidnerianis, Anno M DC XXXVII.

